

nibus, ad cuius Ecclesiam omnes fideles et iusti iam spectabant. Porro cum Ecclesia comparatur cum Synagoga, utraque consideratur secundum id quod proprium est eius.

II. Distinctio Ecclesiae a Synagoga constat 1. ex diversa amplitudine ethnographica; 2. ex diversitate immediati auctoris: Synagogae enim auctor Moyses Dei famulus (Hebr. III, 5) Ecclesiae Christus est Filius Dei: 3. ex diversa habitudine ad invicem: Synagoga enim typus erat et adumbratio Ecclesiae, haec illius antitypus (Heb. X. 4; VIII, 4. Gal. III, 24): 4. ex diversitate sacerdotii, quod argumentum prosequitur Paulus (Hebr. VIII): 5. ex diversis promissionibus divinis: pactum enim initum cum Synagoga bonis terrenis per se continebatur; alterum bonis caelestibus et supernaturalibus continetur (Jerem. XXXI, seqq. Deuter. XXVIII; Iosue XXIV; Hebr. VIII, 6). Quia vero qui ad Synagogam spectabant pertinebant quoque aut pertinere debebant ad Ecclesiam Christi, quae finis erat ipsius institutionis Mosaicae, hinc nihil mirum si Deus per prophetas suos alloquens Israelitas sicut hortatur ad sanctitatem, ita et bona supernaturalia promittat. Haec autem et a gentibus recte viventibus cum gratia Dei participari poterant. Utriusque quidem generis promissiones factae sunt Abrahae (Gen. XII, 2) sicut et Iacobo (XXVIII, 14), sed advertendum Abrahamum non solum Israelitarum sed et omnium gentium constitutum esse patrem, quae in semine eius benedicendae essent (Rom. IX, 68. Gal. III, 8. 9. 16). Unde 6. finis immediatus sacramentorum diversus est in utroque foedere; in vetere enim erat sanctitas quaedam legalis, et dispositio ad gratiam, in novo est ipsa gratia. Quocirca finis quidem ultimus communis erat utrique foederi: sed hic finis ultimus hominis erat Synagogae mediatus, Ecclesiae est immediatus; ideoque finis proprius, et immediatus utriusque diversus est. Quod vero Paulus affirmat de Israelitis Rom. IX, 4. quod eorum scilicet erat adoptio filiorum *υιοθεσια*, non de adoptione proprie dicta interiore sanctificante accipiendum est, sed de ea qua populus ille electus fuerat in populum Dei, speciali scilicet nexu cum eo devinctum prae ceteris populis.

§. VII.

*Ecclesia Christi est necessaria ex divina institutione omnibus hominibus necessitate medii et praecepti; ideoque qui huic divinae institutioni non fecerint satis salvi esse non possunt.*

I. Id negant ii tantum qui nullam revelatam religionem admittunt, vel qui censent in qualibet religione posse Deum legitime coli, salutemque obtineri. Qui vero negant Ecclesiae necessariam peren-

nitatem, ut Sociniani et Remonstrantes, eo quod ipsa pendeat ab libero hominum arbitrio, non hoc ipso censendi sunt negare Ecclesiae necessitatem pro omnibus, nisi iis certis suppositis conditionibus quibus efficitur ut Ecclesia deficiens non amplius in ullo instaurari possit. Quas condiciones illi licet immerito non admittunt.

II. Necessitas societatis ineundae potest esse alia a natura, alia ab institutione vel lege positiva. Cum est ab institutione aut lege positiva, requiritur utique ut adulti convenientes ad societatem volentes ei nomen dent, volentesque permaneant, et hoc sensu voluntaria societas dicitur; adulti inquam, quia si est institutio medii, ea ligare potest etiam infantes voluntatis incapaces: ab adultis vero media quoque necessaria sunt adhibenda libere. Non tamen ex hac hypotesi institutionis aut legis consequitur integrum esse cuique ad eam spectare societatem vel secus, ac ab ea discedere eiusque auctoritati se subtrahere; institutio enim aut lex obligationem gignere potest qua quis vel invitus teneatur. Porro talis est institutio Ecclesiae ex positiva Dei voluntate, ex qua necessitas oritur pro hominibus convenienti ad Ecclesiam. Quocirca ipsa toto caelo differt ab iis societatibus quae ex libero concursu liberisque pactis convenientium coalescunt. Id modo breviter demonstrandum.

Docemus itaque necessarium esse hominibus ex divina institutione cooptari Ecclesiae, in eaque perseverare ut salutem aeternam consequantur: necessitas scilicet Ecclesiae, eaque intrinseca determinatur ex fine, qui est aeterna salus, et gloria Dei; quae posita divina institutione solum per Ecclesiam obtineri potest. Porro necessitas duplex distinguitur, *medii* et *praecepti*. Necessarium necessitate medii ad salutem illud est sine quo vel inculpabiliter omisso nequit salus prorsus obtineri: id enim mediis competit ut sine iis quavis tandem ratione omissis finis ad quem ducunt, non obtineatur: causalitatem enim medii non supplet ignorantia agentis, licet excusare valeat a peccato. (Cf. Suarez De Fide Disp. XII Prooemio). Necessarium ad salutem necessitate praecepti illud dicitur quod faciendum nobis est ut moralem ordinem custodiamus. Iamvero connexio medii cum fine potest ex duplici causa originem habere, nempe vel ex ipsis rerum naturis, vel ex libera institutione eius qui potestatem habeat connectendi assecutionem finis cum quodam medio. Praeceptum autem non est confundendum cum simplici institutione Dei: praeepto enim imponitur subdito moralis obligatio sub culpa: simplex vero institutio medii potest hoc esse contenta: si quis hunc finem consecuturus est, id ipsum habere vel agere oportet. Utraque necessitas in idem obiectum convenire potest, nam et usus mediorum praeeptus est, si finis consecutio est necessaria, ita in baptismo pro adultis; potest



altera ab altera separari, ut in baptismo pro infantibus. Ne inde vero inferas quidquid sub praeceptum cadit esse necessarium solum necessitate praecepti; si enim eius connexio cum fine ita necessaria est ut sine eo vel inculpabiliter omisso finis nequeat obtineri, licet per se ad ordinem moralem spectet et praeceptum sit, erit necessarium quoque necessitate medii. Ita fides actualis necessaria omnibus adultis, ita supposito peccato contritio, vel attritio cum Sacramento, quae etsi sine culpa omittas quia praeoccuparis morte, non ideo salvaris.

Verba posita in definitione necessarii necessitate medii: *sine quo vel inculpabiliter omisso* hoc sensu sunt accipienda, scilicet *si desit medium quocumque modo haberi potest*: nam id quod necessarium est necessitate medii, potest frequenter dupliciter praestari ab adulto (quoniam adultus citra suam actualem culpam non damnatur) nempe vel *in re* vel *in voto*, voto nimirum coniuncto alteri actui puta caritatis vel contritionis, quod votum et implicitum esse potest. Diximus votum coniunctum alteri actui; neque enim cum dicitur baptismus e. g. in voto iustificare, intelligitur quod sufficiat desiderium baptismi ad iustificationem, sed quod caritas vel contritio cum eo desiderio coniuncta iustificat. Quocirca non omnis actus qui sit medium necessarium potest in voto haberi, ut fides et ipsa caritas. Adverte discrimen inter hoc votum, et propositum generatim servandae legis quod pro iustificatione postulatur. Nam propositum servandae legis est propositum rei quae per se non requiritur ante iustificationem, licet eius propositum ut dispositio requiratur; propositum vero baptismi est propositum rei quae per se, posita divina institutione, requiritur ad iustificationem, quae proinde si existat prius per se confert ad illam tanquam eius medium proprium ad ipsam ordinatum. Quocirca per huiusmodi votum subordinatur iustificatio quae obtinetur ad medium institutum a Christo; et sic verum est quod sine subordinatione ad media a Christo instituta non obtinetur iustificatio et salus. Cf. hac super re Card. De Lugo De Eucharistia, disp. III sect. 1.

III. Probamus primum Ecclesiam esse omnibus necessariam necessitate medii. Doctrina est catholica solemniterque promulgata: *extra Ecclesiam nullum omnino salvari*. Ita Conc. Later. IV in definitione contra Albigenses: « Una est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur » et in professione fidei proposita valdensibus: « Corde credimus et ore confitemur unam Ecclesiam non haereticorum, sed sanctam romanam catholicam et apostolicam extra quam neminem salvari credimus. » Cf. et decretum Eugenii IV pro Iacobitis. Idem docet Bonifacius VIII in

Bulla *Unam sanctam*; idem Gregorius XVI in Brevi ad Episcopos Bavariae 27 Maii 1832, rursusque 27 Sept. 1834, ac Pius IX Allocutione habita 9 Decemb. 1854. Atque haec fuit constans praedicatio Ecclesiae: « Sancta enim universalis Ecclesia (inquit Gregorius M. Moral. L. XIV. c. 2.) praedicat salvari veraciter nisi intra se non posse, asserens quod omnes qui extra ipsam sunt, minime salvantur. » Lege et Fulgentium de Fide ad Petrum c. 38. Quocirca comparatione ducta ab arca Noe (1. Petri III, 20. 23) docent Patres Ecclesiam esse unicam salutis arcam, hanc qui non fuerit ingressus procul dubio periturum. Cf. Tertullianum de bapt. c. 8. Hieronym. ep. XV ad Damasum et Dialog. adv. Lucifer. n. 22. Cyprianum De Unit. Eccles. Gaudentium Brixianum Tract. 1. De lectione evangelica, et Anonymum seculi III adv. Novatianum (Gallandi Bibl. Tom. III. p. 371.). Idem haeretici quoque sectis suis vindicabant.

Sane necesse est homines subordinari ministerio docendi, sanctificandi, regendi instituto a Christo in hunc finem ut per ipsum homines in salutem adducantur: atqui per hanc subordinationem societas cum eo ministerio constituitur, et haec societas est Ecclesia: ergo. Minor patet ex §. II. Maior liquet quia sine subordinatione saltem in voto ad hoc ministerium, nemo subordinatur et adhaeret Christo capiti; Christus enim caput est corporis sui, nec potest esse caput nisi corporis, unum autem est corpus Christi; corpus vero Christi illud est quod ministerio a se instituto adunatur. Deus enim posuit in Ecclesia apostolos, prophetas, evangelistas, pastores et doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerii in aedificationem corporis Christi (Ephes. IV, 11. 12); horum autem verborum sententia exclusive est accipienda ut scilicet per solum ministerium eorum quos Deus posuit aedificetur corpus Christi; constat enim aedificandum esse per ministerium aliquorum, nequit autem aedificari nisi ministerio eorum quos Deus posuit, est enim effectus pendens prorsus a libera institutione Dei. Itaque corpus Christi illud est tantum quod a ministerio ab eo instituto aedificatur. Oportet ergo subordinari illi ministerio ut subordinatio habeatur ad Christum caput. « Ad ipsam scilicet salutem et vitam aeternam nemo pervenit nisi qui habet caput Christum; habere autem caput Christum nemo poterit nisi qui in eius corpore fuerit quod est Ecclesia » August. De Unit. Eccl. c. 19. Haec porro est necessitas medii. Posita enim praesenti oeconomia redemptionis, ex ipsis rerum naturis oritur ut nemo salvari possit qui influxum a Christo non recipiat, et sic Christo capiti adhaereat.

Rursus necessarius est necessitate medii omnibus baptismus; ergo pariter Ecclesia. Prob. consequentia: quia per baptismum quis Eccle-



siae cooptatur: eo enim spectat baptismus ut quis membrum Christi fiat ac de corpore efficiatur Ecclesiae: etenim in uno spiritu omnes in unum corpus baptizati sumus 1. Cor. XII, 13: et idcirco baptismus ianua est vitae spiritualis quia per ipsum effimur membra Christi et de corpore Ecclesiae, ut docet Eugenius IV in decreto pro Armenis. Antecedens patet ex verbis Christi Ioan. III, 3. seqq. ex quibus constat quod sicut nequit haberi vita naturalis sine natiuitate, ita nequit haberi vita supernaturalis, cuius terminus est visio Regni Dei, sine regeneratione quae fit per baptismum, et ideo omnibus etiam infantibus necessarius est baptismus; quemadmodum contra Pelagianos ab Ecclesia sancitum est.

Item necessaria est omnibus necessitate medii fides sive habitualis tantum infantibus sive actualis quoque adultis: ergo pariter necessaria est Ecclesia. Prob. consequentia: quia perinde est habere vel solam fidem, et spectare vel re vel saltem voto ad Ecclesiam; qui enim credit subiicit se Deo docenti et implicite saltem subiicit se quoque diuinitus instituto magisterio per quod fides praedicatur, paratusque est facere quae ipsum docet seque illi tradere regendum. Antecedens probatur verbis Hebr. XI, 6. *sine fide impossibile est placere Deo*, collatis quoque formulis frequentibus Apostolo appellanti *iustitiam fidei, iustitiam ex fide, per fidem* Rom. III, 13. 25; VIII, 30. etc. Quocirca testantibus Patribus Tridentinis Sess. IV, cap. 7: *sine fide nulli unquam contigit iustificatio*, et c. 8: *fides est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis iustificationis*. Fides autem proprie dicta accipienda est; de hac enim auctoritates adductae loquuntur, idque etiam patet ex damnata prop. 23. ab Innocentio XI, 2. Martii 1679. qua damnatione negatur sufficientia ad iustificationem fidei improprie dictae, quae sit scilicet ex testimonio creaturarum similive motivo (naturali scilicet) Cf. Card. de Lugo (De fide d. XII. sect. 2. et 3).

Porro ex his collige quod cum in Scripturis necessitas fidei et baptismi praedicatur, praedicatur ibidem eo ipso necessitas Ecclesiae.

Tandem omnibus necessitate medii necessaria est pro consequenda salute religio, ad quam suo modo infantes quoque consecratione quadam cooptari possunt: religio autem necessaria nequit esse nisi vera; porro vera religio non est nisi Christianismus, Christianismus in concreto ipsa est Ecclesia. ergo.

Ex dictis manifesta quoque fit necessitas praecepti: quia cum usus mediorum est in nostra potestate, si obligamur ad finem obligamur quoque ad media: quia Christus reapse legem tulit omnes obligantem Matth. XXVIII, 20. Marc. XVI, 16.

Concludere ergo licet Augustini verbis in sermone habito ad cae-

sariensis Ecclesiae plebem, praesente Emerito episcopo donatista « Extra Ecclesiam catholicam totum quis potest habere praeter salutem. Potest habere honorem, potest habere sacramentum, potest cantare *alleluia*, potest respondere *amen*, potest evangelium tenere, potest in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S. fidem et habere et praedicare: sed nusquam nisi in Ecclesia catholica salutem poterit invenire. »

IV. Quanam vero ratione necessitas haec componitur cum cura, quam Deus habere credendus est hominum omnium salutis? plures enim sunt quibus Christi fides praedicata non est; nequeunt proinde ipsi credere Ecclesiaeque se adiungere, cur ergo extra Ecclesiam non possunt consequi salutem?

Respondeo. Recondendum est in primis quod qui Ecclesiam necessariam esse voluit, ille ipse est cui media deesse non possunt ut exsequatur consilium voluntatis suae, quae vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire: quare dubitandum non est quod illa duo optime concilientur: nec opus est adeo nos esse sollicitos in huius rei investigatione.

Verumtamen licet eam afferre rei declarationem, qua evincatur rationem nullam esse cur de divina misericordia et iustitia anxii simus. Sane 1) tenendum est, quod est dogma catholicum, eum qui ignorantia invincibili ignorat fidem, non peccare si non credit; neque propter fidei involuntarium defectum damnari: 2) tenendum est ex doctrina de salvifica Dei voluntate, Deum omnibus hominibus eas actuales gratias suppeditare, quibus si fideliter respondeant, ad fidem et sic ad Ecclesiam Deo cooperante, et si opus sit etiam viis extraordinariis utente, sint infallibiliter perventuri. Quae quidem viae, cum in certis adiunctis exigantur ab ea ordinaria providentia, quae vult omnes homines salvos fieri, non sunt sub hac ratione censendae extraordinariae. « Nemo est adeo barbarus (ait Card. De Lugo De fide Disp. XII Sect. 3) quem Deus non excitet et illuminet ex gratia per Christum in primis ad observantiam legis naturae, quam si observet per aliquod tempus, ad prudentiam Dei spectat illuminare illum circa res fidei vel per humanam praedicationem, vel alio modo qui non esset miraculosus attenda lege communi Dei qua decrevit illuminare sufficienter omnem hominem, et facienti quod in se est per auxilia quae tunc habet non denegare gratiam illuminationis ad fidem: quae illuminatio sit actus supernaturalis dictans obligationem orandi vel quaerendi doctrinam verae salutis. » Idem expressius docet S. Thomas de verit. q. XIV, a. IV ad 1. inquit: « Hoc ad divinam providentiam pertinet ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex parte eius non impediatur. Si enim aliquis taliter (h. e. in silvis vel inter bruta animalia) nutritus du-



etum rationis naturalis sequeretur in appetitu boni et fuga mali, *certissime est tenendum* quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea quae sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei praedcatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium. » Adeo persuasus erat S. Thomas de necessitate fidei proprie dictae ad salutem! Quare 3) eos qui sine fide damnantur censendum est damnari non propter involuntarium defectum fidei, sed propter peccata quae, spretis gratiis divinis, admiserunt, quaeque poterant, si voluissent, vitare. Hinc 4) ex eo quod fides per totum orbem praedicata non sit nequit inferri nolle Deum hoc medio hominem quemlibet salvari.

« Notum est (ait SS. Pius IX in litteris encyclicis *Quanto conficiamur* 10 Augusti 1863) eos qui invincibili circa sanctissimam nostram religionem ignorantia laborant quique naturalem legem eiusque praecepta in omnium cordibus a Deo insculpta sedulo servantes ac Deo obedire parati, honestam rectamque vitam agunt: posse divinae lucis et gratiae operante virtute, aeternam consequi vitam, cum Deus qui omnium mentes, animas, cogitationes habitusque plane intuetur scrutatur et noscit, pro sua bonitate et clementia minime patiatur quempiam aeternis puniri suppliciis, qui voluntariae culpa reatum non habeat. Sed notissimum quoque est catholicum dogma, neminem scilicet extra catholicam ecclesiam posse salvari. » Quo quidem dogmate praestituto etiam in Allocut. habita 9 Decemb. 1854. advertit idem SS. Pontifex quod qui illud in dubium vocant « percontari saepenumero solent, quaenam futura post obitum sit eorum sors et conditio qui catholicae fidei minime addicti sunt. » Subdit vero « absit ut misericordiae divinae quae infinita est terminos audeamus apponere; absit ut perscrutari velimus arcana consilia et iudicia Dei quae sunt abyssus multa. Quod vero Apostolici nostri muneris est, episcopalem vestram et sollicitudinem et vigilantiam excitatam volumus, ut opinionem illam impiam aequae ac funestae ab hominum mente propulsetis, nimirum quavis in religione reperiri posse aeternae salutis viam... Tenendum quippe ex fide est, extra apostolicam romanam ecclesiam salvum fieri neminem posse, hanc esse unicam salutis arcam, hanc qui non fuerit ingressus diluvio periturum: sed tamen pro certo pariter habendum est, qui verae religionis ignorantia laborent, si ea sit invincibilis, nulla ipsos huiusce rei culpa obstringi ante oculos Domini. »

Ex disputatis consequitur nullam aliam adstrui necessitatem Ecclesiae quam quae sit necessitas baptismi quo Ecclesiae membra homines fiunt: et quemadmodum baptismus dicitur ab omnibus theologis probante Tridentina synodo sess. VI, cap. 3. necessarius in re vel in voto, ita et necessarium est Ecclesiae membrum esse vel in re vel in voto.

§. VIII.

*Ecclesiam suam ita Christus instituit ut perenniter usque ad consummationem seculi absque ulla substantiali mutatione sit necessario existitura.*

I. Perennitas rei dupliciter haberi potest *contingenter*, et *necessario*. Contingenter permanere dicitur quod ita durat ut sive ratione essentiae suae sive ratione finis propter quem existit nulla sit exigentia suae durationis, ideoque absque ulla contradictione verificari possit eius desitio. E contrario necessario perseverat quod ideo durat quia eius essentiae vel fini repugnat desitio. Necessitas rursus duplex distinguenda: *absoluta*, et *hypothetica*: ea oritur ex ipsis rerum naturis per se spectatis, valetque in quavis hypothesi: haec supponit aliquam contingentem hypothesim qua posita potest aliquid necessario esse connexum cum rei alicuius natura. Hanc alteram vindicamus perennitati Ecclesiae, supposita nempe institutione Christi, quae institutio finem quoque complectitur propter quem a Christo facta est.

Perennitatem Ecclesiae veteres haereses non negarunt. Primi quoque inter Protestantes, teste Bellarmino De Eccl. L. III. c. 13. concedunt Ecclesiam ex lege Dei non posse deficere; licet ipsi de invisibili loquantur quam veram Ecclesiam putant; Ecclesiam vero visibilem sive secundum hanc formam externam et visibilem deficere posse vel obscurari ita ut eius coetus publicus nullus appareat, facile concedunt Protestantes (Cf. Moehler Symbol. L. I. c. 5. §. 34. seqq.), imo defendunt, ut Turretinus Loc. XVIII. q. 9, ut scilicet ita se expediant ab ea quaestione qua urgentur, ubinam ante reformatores fuerit eorum Ecclesia. Inter rationalistas autem, quorum facile principes Sociniani, dogma perennitatis Ecclesiae praecipuos invenit adversarios.

Perennitatem Ecclesiae usque ad consummationem seculi defendimus h. e. usque dum genus humanum in stadio viae degat in terris; absolvendam enim esse aliquando peregrinationem humani generis constat ex Christi verbis praedicentis consummationem seculi (Matth. XXIV, 14, XXVIII, 20) quod vel est ipsum humanum genus, vel illud complectitur.

II. Perennitas Ecclesiae demonstratur et ex divinis promissionibus, et ex natura Ecclesiae, et ex eiusdem Ecclesiae constanti traditione. Sane conferantur testimonia Isaiae IX, 6. 7. Parvulus natus est nobis et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum eius, et vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri seculi, princeps pacis: multiplicabitur eius impe-